



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 23. Vtrum vnica regula actuum moralium sit dictamen conscientiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

7. Inferitur tertio ex actibus moralibus aliquos esse liberos, aliquos necessarios. Pater: nam beati amant Deum, attendendo, quod non solum est licitum, sed etiam est honestissimum amare Deum; sed amor beatificus est amor necessarius; ergo est simul actus moralis, & necessarius. Est tamen de essentia actuum moralium specialiter imputabilem ad meritum præmij, & pænæ, ut sint liberi; siquidem actus non liberi non possunt esse meritorij; & quia hoc loco agimus præsertim de actibus moralibus specialiter imputabilibus, agimus de actibus moraliter liberis.

8. Ad 1. nego maiorem, ac dico, quod etiam Deus agit moraliter. Ratio est, quia ad hoc, ut aliquis agat moraliter, sufficit, ut agat, considerando, utrum actio sit licita, vel illicita, conformis, vel difformis legi æternæ, seu sit subditus legi, siue non; sed Deus licet non sit subditus legi æternæ, tamen est ipsa lex æterna, & in suis actionibus dirigatur à cognitione, quæ cognoscit tales actiones esse conformes legi æternæ, hoc est dictamini diuini intellectus; ergo Deus agit moraliter moralitate etiam libera. Adde actus honestos Dei esse Deo summè imputabiles, ac multo magis, quam nostri actus honesti sint imputabiles nobis. Ratio est, quia in tantum actus honestus est alicui imputabilis, in quantum est ita liber, ut agens habeat honestatem actus à se ipso; sed actus honesti Dei ita sunt liberi, ut Deus habeat à se ipso adæquatè totam honestatem talium actuum; nostri actus honesti ita sunt nobis liberi, ut licet aliquo pacto eorum honestatem habeamus à nobis ipsis, tamen multò magis habeamus à Deo per gratiam, iuxta illud primæ ad Corint. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* ergo actus honesti Dei sunt multò magis imputabiles Deo, quam actus honesti creaturarum sint imputabiles creaturis, ideoque, ut dicitur prima ad Timot. 1. *Soli Deo honor, & gloria*, quia solus à se ipso habet omnem suam honestatem, & laudabilitatem: creaturæ ita sunt laudabiles propter operationes honestas, ut non tam ipsæ laudentur, quam Deus laudetur in creaturis.

9. Ad 2. distingo maiorem: bruta sunt capacia agendi moraliter in sensu proprio, nego; in sensu metaphórico, & improprio, concedo. Bruta propriè non sunt capacia agendi moraliter, cum non possint agere, considerando, utrum actiones sint licitæ, vel illicitæ, sed possunt agere moraliter in sensu improprio, & metaphórico, cum possint facere quasdam actiones, quæ quia habent quandam externam similitudinem cum nostris actionibus moralibus, possunt metaphoricè dici morales; eo pacto, quo imago hominis, quia habet quandam externam similitudinem cum homine, metaphoricè dicitur homo; ideoque Aristoteles loco citato in argumento non dicit in brutis esse mores, sed ve-

stigia morum. Explicatur. In homine datur vera, & moralis urbanitas, & vera, & moralis feritas. Est autem vera, & moralis urbanitas, per quam exercet actiones urbanas, quia sunt honestæ, & conformes legi æternæ: est vera, & moralis feritas, per quam exercet actiones feras, & crudeles, aduertens illas esse illicitas, & contrarias legi æternæ; sed aliqua bruta exercent actiones exterius similes urbanis, sed non quia sunt honestæ, & conformes legi æternæ; exercent actiones similes crudelibus, sed non aduertentia illas esse inhonestas, & contrarias legi æternæ; ergo non exercent actiones verè morales, sed similes moralibus, quæ ita se habent ad actiones verè morales, sicut homo pictus se habet ad hominem verum.

QVAESTIO XXIII.

Utum unica regula actuum moralium sit dictamen conscientie?

1. Videtur quod sit. Unica enim regula actuum moralium est, per quam ita regulantur, ut per respectum ad ipsam sufficienter constituantur morales; sed actus nostri sufficienter constituntur morales per respectum ad dictamen conscientie, quo regulantur; ergo &c.

2. Respondeo, certum est apud omnes, regulam proximam, & quasi homogencam actuum moralium esse rationem, seu dictamen conscientie. Ratio est, quia regula proxima actuum moralium est, per quam actus humani morales ita immediatè regulantur, ut per respectum ad ipsam constituantur morales, & per varios respectus ad ipsam constituantur in diuersis speciebus moralitatis; sed actus humani ita regulantur per rationem, seu dictamen conscientie dictantis illos esse licitos, vel illicitos, ut sint morales per hoc, quod fiant dependenter ab hoc dictamine, & per varios respectus ad tale dictamen constituantur in variis speciebus moralitatis; ergo &c. Probatur minor. Nam actus, qui fiunt independenter à dictamine conscientie dictantis illos esse licitos, vel illicitos, eo ipso non sunt morales: si verò fiant dependenter ab hoc dictamine, sunt morales. Rursus actus, qui fiunt, conscientia dictante illos esse honestos, ex hoc motiuo, quia sunt honesti, eo ipso sunt in specie moralium actuum honestorum; actus qui fiunt, conscientia dictante illos esse illicitos, & inhonestos, eo ipso sunt in specie moralium actuum inhonestorum; ergo &c.

3. Quia actus morales regulantur immediatè per dictamen conscientie, dictamen conscientie, seu ratio dicitur regula proxima actuum moralium. Quia sicut nostri actus morales sunt vitales, & intentionales, sic di-

sta.

Amamen conscientiae est vitale, & intentionale, ideo dictamen conscientiae dicitur regula homogenea actuum moralium, ut loquitur Sanctus Thomas prima secundae, quaestione 71. articulo 6. in corpore.

4. Posito, quod ratio, seu dictamen conscientiae sit regula actuum moralium, quaeritur, utrum sit unica regula, an verò sit regula proponens aliquam aliam regulam priorem, & magis fundamentalem; & utrum moralitas, eiusque species, hoc est honestas, & inhonestas sufficienter definiantur, & explicentur per ordinem ad dictamen conscientiae, an debeant definiri per ordinem ad aliquam aliam regulam priorem, & magis fundamentalem, quae proponatur per dictamen conscientiae.

5. Aliqui videntur docuisse dictamen conscientiae esse unicam regulam moralitatis, adeoque moralitatem, eiusque species sufficienter definiri per ordinem ad dictamen conscientiae. Ideo definiunt actum honestum esse illum, qui fit conformiter ad rectam rationem, seu dictamen conscientiae; actum inhonestum esse illum, qui fit difformiter ad rectam rationem, seu dictamen conscientiae. Affinis est opinio quorundam Thomistarum relatorum à Vasquez prima secundae disputatione 58. capite primo, numero 2. & 3. qui dixerunt regulam actionum moralium esse iudicium prudentiae, adeoque definirunt actionem honestam esse illam, quam vir prudens determinaverit esse honestam; actionem inhonestam esse illam, quam vir prudens determinaverit esse inhonestam. Demum ab his non discrepant alij, qui docuerunt regulam moralitatis esse quemdam syllogismum practicum, puta hunc, *licitum est uti meis pecunijs; ista pecunia sunt mea; ergo licitum est uti istis pecunijs*; ideoque videntur definire actum honestum esse illum, qui fit conformiter ad syllogismum practicum: actum inhonestum esse illum, qui fit difformiter ad syllogismum practicum.

6. Dicendum primò: recta ratio, dictamen conscientiae, iudicium practicum, syllogismus practicus &c. ita sunt regula formalis, & proxima moralitatis, ut supponant aliam regulam obiectivam priorem, & magis fundamentalem.

7. Probatum: nam recta ratio, dictamen conscientiae &c. catenus sunt regula actuum moralium, quatenus proponunt actiones ut honestas, vel inhonestas; sed non possunt proponere actiones esse honestas, vel inhonestas, nisi considerent aliquam regulam obiectivam, à qua desumatur honestas, vel inhonestas actionum; ergo recta ratio, & dictamen conscientiae proponunt aliquam aliam regulam obiectivam priorem, & fundamentalem.

8. Dicendum secundò: actus honesti, vel inhonesti non sufficienter definiuntur per ordinem ad rectam rationem, dictamen con-

scientiae. iudicium practicum &c.

9. Probatum: nam non sufficienter res definitur per aliquid, in cuius conceptu includitur illud ipsum, quod definitur: siquidem eo ipso committitur circulus vitiosus; sed definiendo actus honestos, vel inhonestos per ordinem ad dictamen conscientiae &c. definiuntur per aliquid, in cuius conceptu includitur ipsum definitum; ergo &c. Probo minorem: nam cum dicitur, *actus honestus est, qui fit conformiter ad dictamen conscientiae*, quaero, quid debeat hoc dictamen dictare, ut actus illi conformis sit honestus? Profecto debet dictare actionem esse honestam; nam quicquid aliud diceret, si hoc non diceret, impertinenter se habet ad hoc, ut actus conformis dictamini conscientiae sit honestus; ergo actus honestus definitur, *qui fit conformiter ad dictamen conscientiae dictantis talem actionem esse honestam*; ergo actus honestus explicatur per dictamen conscientiae, & in explicatione dictaminis ponitur ipsa actio honesta, adeoque committitur circulus vitiosus. Similiter dum dicitur actum honestum esse, quem vir prudens determinaverit esse honestum, qui per syllogismum practicum concluditur esse honestus &c. committitur circulus vitiosus, ideoque tales descriptiones sunt insufficientes, sicut est insufficientis definitio, qua homo definitur, *quem vir sapiens iudicat esse hominem*.

10. Debet adverti, quod aliud est aliquam propositionem esse veram in sensu propositionis etiam convertibilis, aliud esse veram in sensu definitionis: exempli gratia haec propositio, *homo est, quem Deus iudicat esse hominem*, est vera in sensu propositionis convertibilis, sed non est vera in sensu definitionis, cum non sit definitio hominis. In calu nostro concedimus hanc propositionem, *actus honestus est, qui fit conformiter ad dictamen conscientiae*, esse veram in sensu propositionis etiam convertibilis; siquidem omnis actus honestus est conformis dictamini conscientiae, & omnis actus conformis dictamini conscientiae est honestus; sed solum negamus illam propositionem esse veram in sensu definitionis. cum non contineat definitionem actus honesti, ad quam requiritur, ut sit per notiora definito, ac proinde non continentia definitum in suo conceptu.

11. Ad argumentum in contrarium distinguo maiorem: unica regula actuum moralium est, per quam ita regulantur, ut per respectum ad ipsam ut proponentem aliam regulam priorem sufficienter, constituantur morales, nego; ut non proponentem aliam regulam priorem, transeat; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Regula, per ordinem ad quam ut proponentem aliam regulam priorem actus sufficienter constituuntur morales, non est unica, neque prima; sed dictamen conscientiae, & recta ratio est regula, per ordinem ad quam ut proponentem priorem regulam obiectivam actus con-

fituuntur morales; ergo dictamen conscientie non est vnica, neque prima regula actuum moralium.

QVÆSTIO XXIV.

Utrum regula obiectiua actuum moralium sit lex æterna, vel natura rationalis?

S. Th. 1. 2. quæst. 71. art. 1.

1. Videtur regula obiectiua actuum moralium non esse lex æterna, sed natura rationalis; primò quia regula necessaria moralium actuum est per conformitatem ad quã constituuntur boni, & honesti, per difformitatem constituuntur mali, & inhonesti; sed actus humani constituuntur boni, & honesti per hoc, quod sint conformes naturæ rationali, eamque deceant, constituuntur mali, & inhonesti per hoc, quod sint difformes naturæ rationali, eamque dedeant: exempli gratia quia naturam rationalem decet, vt Deum amet, & colat, & mandatis diuinis obediat, honestum est Deum amare, & colere, & mandatis diuinis obedire; quia dedecet naturam rationalem, vt Deum oderit, & contemnat, eiusque mandatis non pareat, inhonestum est Deum odisse &c; ergo &c.

2. Secundò id, quod supponit multas actiones esse honestas, vel inhonestas, non est regula vniuersalis honestatis, & inhonestatis; sed lex æterna supponit actiones per illam præceptas, & prohibitas antecedenter esse honestas, & inhonestas; ergo &c. Probatur minor: nam lex æterna naturalis supponit honestum esse Deum amare, & colere, parentes honorare &c. & idè hæc præcipit: supponit rursus inhonestum esse Deum odisse, & contemnere, parentes inhonorare &c. & idè hæc prohibet; ergo &c.

3. Tertio id, de quo non cogitando, possumus intelligere multas actiones esse honestas, vel inhonestas, non est vniuersalis regula honestatis, & inhonestatis; sed non cogitando de lege æterna, intelligimus honestum esse Deum amare, & colere, parentes honorare; inhonestum autem esse Deum odisse, & contemnere, parentes interficere, iniuriam alijs facere; ergo &c.

4. Quarto si actiones essent honestæ, & inhonestæ per solam conformitatem cum lege æterna, sequeretur, quod non posita lege æterna Dei, nihil esset honestum, vel inhonestum; sed Deus liberè ponit omnem suam legem, adeoque potuisset non ponere legem æternam; ergo potuisset nihil esse honestum, vel inhonestum, adeoque in eo casu non esset honestum Deum diligere, & colere, nec esset inhonestum Deum odisse, & contemnere.

5. Quintò si actiones essent inhonestæ, quia sunt contra legem æternam, sequeretur,

quod omnes actiones inhonestæ ideo essent inhonestæ, quia sunt prohibitæ; sed hoc est falsum; siquidem communiter admittitur aliqua esse mala, & inhonestæ, quia sunt prohibita, alia è conuerso esse prohibita, quia sunt mala, & inhonestæ; ergo &c.

6. Respondeo, quod posset aliquis existimare quasdam actiones esse honestas, vel inhonestas se ipsis, & per sua prædicata absoluta, sine vilo respectu ad aliquam regulam distinctam: exempli gratia, actiones amandi, & colendi Deum, honorandi parentes &c. esse honestas per sua prædicata absoluta, sine vilo respectu ad aliquam regulam distinctam; actiones Deum contemnendi, furandi, mentiendi &c. esse inhonestas per sua prædicata absoluta, & sine respectu ad regulam distinctam.

7. Reijcitur hæc opinio. Nam actiones, per quas natura operans ordinatur ad aliquem finem distinctum, non possunt constitui bonæ, vel malæ, nisi per hoc, quod sint commensuratæ, vel incommensuratæ tali fini: exempli gratia actiones medicatiuæ ægroti, quia habent pro fine sanitatem, non possunt esse bonæ, vel malæ, nisi prout sunt commensuratæ, vel incommensuratæ sanitati; sed natura rationalis per actiones morales ordinatur ad vltimum finem, hoc est ad consequutionem summi boni; ergo actiones morales non possunt esse bonæ, vel malæ, nisi prout sunt commensuratæ, vel incommensuratæ vltimo fini, ac summo bono; sed id, per commensurationem, vel incommensurationem ad quod actiones sunt bonæ, vel malæ, honestæ, vel inhonestæ, est regula; ergo actiones morales sunt honestæ, vel inhonestæ per commensurationem, vel incommensurationem ad aliquam regulam distinctam, non autem per sua prædicata absoluta, sine respectu ad regulam distinctam; ideoque omnes supponunt dari regulam obiectiuam distinctam actionum moralium.

8. Posito, quod detur hæc regula, quaeritur, quænam sit. Duæ sunt præcipuæ sententiæ. Prima, quam relatis pluribus authoribus, sequitur Vasquez 1. 2. disput. 58. cap. 2. & disput. 97. cap. 3. docet regulam moralitatis esse naturam rationalem, quatenus rationalis est, adeoque actiones esse formaliter honestas per hoc, quod sint decentes, & consentaneæ naturæ rationali, quatenus rationalis est, & esse formaliter inhonestas per hoc, quod sint dedecentes, & dissentaneæ naturæ rationali, quatenus est rationalis: e. gr. quia decet hominem Deum amare, & parentes honorare &c. actiones Deum amandi, & colendi, parentes honorandi &c. sunt honestæ; quia dedecet, vt homo Deum contemnat, parentes inhonoret, committat furta, adulteria &c. hæc sunt inhonestæ.

9. Secunda sententia S. Bonauenturæ in secundo distinctione 25. in quarto dubio, & aliorum, quos refert idem Vasquez citata di-